



46

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**VOMITV CRVENTO  
PLERVMQVE PER SE NON  
LETHALI**

---

QVAM  
DIVINI VNUMINIS AVSPICII  
IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSV  
MODERATORE  
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRL. PROFESS. PVBL. ORDIN.  
FACVLTA. PHILOSOPI. H. T. DECANO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIO. PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,  
D. XXIX. FEBR. MD CCLII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR DEFENSVRVS

**IOHANNES HENRICVS LICHTENBERG**  
IAEGERSBURGO - DARMSTADINVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



DISSESTITIO INAGRAVII MEDICI

DE

VOMITA CRACTO  
PLERAMQUE PER SE NON  
LETALI

QVAM

DIVINUM MUNUS VASPICIUS

IN REGLA SCANDINA PLEGRANIA

GENITUS QVODICIMUS MORTALIS

MODERATORB

QVOD ANNUARI ET EXCEPTE MULASSIMO

D. ANDREAS HILIA BACHINGER

SACRI ROMANI IMPERII MONTI

TOTENSIMO BORASSAR REGI A CONSILIIS TAVRIS

MEDICINAE ET PHARMA NATURALI PROPOSITA ET DECENDO

IMPERIALI AVOCATATE MATERIAE ORARIO BREVISIDE

ET COMITE LEBDANO CAVASCO

PRO GRADA DOCTORIS

SUMMOS NEMEDICINA HONORIBVS ET PRIMAEGENIS

DOCTORIBVS LEGIBVS MATERIALES

ET TERRA MARC MEDICIN

SCIENTIA PRACTICARVM EXAMINIS EXAMINIS

ACTOR DESENARVS

JOHANNES HENRICVS HICHTENBERG

EXAGENARVS DILECTARVS

IAN. IOANNIS CHRISTIANI HUTTOERI, ACAD. HICHER.



§. I.

**M**ultae fuerunt rationes, quae, deliberaenti mihi, ex quaquam medicinae parte non inutile aliquod specimini meo inaugurali deligerem argumentum, magnum attulerunt incitamentum, ut de *vomitu cruento per se plerumque non letali* pauca quedam meditata & aliorum iudicio tradita, in lucem proferrem & cathedram. Et quum *vomitus cruentus omnium haemorrhagiarum species sit infrequentior*, ac deinde materiae praestantia, quae iudicium medicum in formanda prognosi attingit, praefto sit, atque insignis denique, quae inde fluit, utilitas se offerat, facili equidem negotio animadverto, non inanem profrus a me et supervacaneam impendi operam.

§. II.

*Exposituro igitur mihi de ratione, cur sanguinis vomitus plerumque per se non sit letalis,* rerum dicendarum, natura & ordo exigere videtur, ut, quae ad huius

morbi historiam, modumque in primis, quo sanguis in ventriculum, per naturam nihil eiusdem in cuitate sua continentem nec fecerentem, deferatur, proprie pertinent, breviter omnino strictimque praemittam. Quo quidem instituto illud consequi me posse arbitror, ut non solum Lectores, vel quosdam non Medicos, brevi instruam de morbi indole, sed etiam ipse labor praesens ad reliqua pertexenda se se eo expeditius proue hat.

## §. III.

Ne autem per ambages deducam Lectores, ad rem ipsam, quam mihi proposui, iam accedens, proximum esse existimo, ut clarum de vomitu cruento ac perspicuum hic interponam conceptum, id quod mihi hoc loco perinde est, ac definitionem eiusdem tradidisse. *Vomitus ergo cruentus est sanguinis ut plurimum nigricantis, spissoris & grumosi, tenaci saepe muco intermixti, excretio e ventriculo per superiora, mediante inverso eius peristaltico motu contingens.*

## §. IV.

Exinde facile dispalescit, manifeste distinctam esse hanc haemorrhagiam ab haemoptysi & sputo cruento, tametsi latino termino, ut videre licet apud CELSYM Lib. IV. Cap. IV. §. V. haemoptysis aliunde quoque dicatur sputum cruentum. Sed recentiorum schola medica distinguit sputum sanguinis inter & haemoptysin ea ratione, vt illa haemorrhagiartum species, quae graeco nomine haemoptysis dicitur, significet sanguinis sinceris, floridi & maiori ex parte spumosis ex vasibus pulmonum arteriosis, plerumque cum tussi, placido magis, quam

-TOMI

§ A

vio-

*de Vomitu cruentio plerumque per se non letbali.* 5

violentio conamine, factam excretionem; *sputum* vero *cruentum* vocatur, quando saliuia, vel mucus, striis sanguineis permixtus, ex faveibus & oris summi partibus cum screatu elicetur laborioso, sine vitio tamen pectoris coniuncto. Ab utroque igitur, per datum conceptum, facili negotio distinguitur morbus praesens, de quo mox disertius dicturus sum, *sanguinis* nempe *vomitus*, quando sanguis venosus, plerumque crassus & coagulatus, sine ylla tussi, cum anxio vomendi conatu, postquam in ventriculo breviori aut longiori mora substitutus, foras excutitur. Etenim sanguis ita in ventriculo collectus quo citius elicetur, eo purior & fluidior existit, quo diutius autem in eo fuit detentus, eo spissior magisque nigricans, & in frustulis coagulatis excernitur, praeceps ubi multum acidi in ventriculo contentum fuerit, quod sanguinem ibidem collectum per moram magis in grumos coegerit.

*Vomitus* cruentus autem, ut iustum in eodem ponam discrimen, omnino *duplex* est, alter nempe *simplicis*, alter vero *complicatus* seu *abstergivo-visceralis*. *Simplicem* appello eum, qui oritur via naturae vitali a meris causis internis, eum in finem, ut *plethora*, in primis *spissor* facta, atque adeo oeconomiae vitali molesta, euacuetur & in corporis salutem imminuat; *complicatum* contra, seu *abstergivo-visceralis* dico istum, qui cum viscerum abdominalis qualicunque vitio coniunctus oboritur, non tam ad plethoram imminuendam ac sanguinis circuitum iuuandum, quam potius ad illud vitium viscerum abdominalium detergendum ac eluentum.

6 *Dissertatio inauguralis medica,*

dum. Evidem in praesentiarum dicturus saltem sum de *simplici sanguinis vomitu*, utpote de quo, testante experientia, afflere possumus, ipsum, mala curatione non turbatum, plerumque per se vacare periculo, nec esse lethalem; de *complicato* postea pauca quaedam, pro instituti praesentis ratione, adhuc commemoraturus, ut opposita iuxta se posita magis elucescant.

§. VI.

His igitur praemissis, ordo me dicit ad *sanguinis itinera*, quibus in ventriculum divertit atque in eodem deinde colligitur. Plura omnino esse itinera, quam quidem olim persuasum sibi habebant Medici, accuratior vtique ventriculi consideratio anatomica nos edocere potest. Calculum igitur si recte hic posuerimus, *duplicem* potissimum, me quidem iudice, esse viam deprehendimus, *naturalem* alteram, alteram *praeternaturalē*. Praeter naturalem offendere licet tantum non semper in *vomitu sanguinis complicato*; naturalem contra in *simplici sanguinis vomitu*, (de quo specialius in praesentiarum agere constituimus,) agnoscere nos oportet. Ad viam ergo hancce *naturalem*, quam in *simplici sanguinis vomitu* persequitur *natura*, quod attinet, statuenda illa est ac ponenda in *extremitatibus ductuum excretorum*, qui e ventriculi glandulis partim, partim vero ex ultimis vasibus sanguiferis, venosis maxime, in interiori superficie internae ventriculi tunicae villosae prodeunt, patent, atque in statu naturali liquorem gastrum, & maxime subiles, tenues lymphatico-serosos humores ibidem secernunt.

§. A.

§. VII.

*de Vomitu cruento plerumque per se non letibali.*

7

§. VII.

Equidem nouitatis pruritu ac studio hic non teneor, sed simplicis veritatis amor me vrgit adeo, vt non possim, quin pedibus, quod aiunt, in quortumdam recentiorum & Medicorum & Anatomicorum vel clarissimorum abeam sententiam, plane non ementitam, sed anatomiae & experientiae suffragio comprobatam, idque eam maxime ob rationem, quoniam omnia phaenomena, in sanguinis vomitu obvia, hoc modo optime possumus interpretari, indeque iusta ratione perspicere, qui fieri possit, vt eiusmodi sanguinis vomitus vi naturae vitali euentu plerumque salutari tolli queat.

§. VIII.

Itaque proprius sanguinis in ventriculum itinera nobis sunt consideranda, quam rem haud rectius, opinor, clariusque intelligemus, quam si ipsum ventriculum eiusque vasa breuiter saltem strictimque considerauerimus. *Ventriculus* ergo proprie *quatuor* constat *tunicis*, *membranacea*, *musculosa*, *neruo-tendinea* & *denique interna villosa*, e qua filamenta exilia, arctissime inter se excurrentia, recta in cavitatem ventriculi transcurrunt. Inter quamlibet harum tunicarum sita est *textura* quaedam *cellulosa*, quarum subtilissima est, quae nerueam inter offendit atque interiorem tunicam villosam interiecta. In his texturis cellulosis latent vasa ventriculi, ac innumeris retiformibus distribuuntur incuruationibus. Verum tamen vasa haec, a sanguiferis licet procedant, sanguinem tamen non vehunt, sed liquorem lymphatico-serosum. Ex anatomicis praeterea perspicuum est notumque, filamenta exilia, quae a su-

per-

perficie interiori tunicae villosae recta in cavitatem ventriculi prominent, e papillis, seu fibris nerueis constare, ita tamen, ut interpositi canales subtiliores deprehendantur, qui quidem ventriculi cavitatem interiorius permeant, at nihil, nisi tenuissimum humorum vaporem, transmittunt.

### §. IX.

Ex his ergo perspicimus, sanguinem primam inter & secundam, itemque secundam inter & tertiam membranam re vera circuire, atque in statu naturali penetrare in ea vasa sanguifera, quae intra nerueo-tendineam atque interiore iacent villosam membranam. Iam vero constat, vasa lymphatico-serosa, qualia sunt illa, de quibus loquimur, oriri ab extremitatibus arteriarum sanguiferarum, adeoque hinc perspicuum atque a veritate non alienum est, eadem ratione idem fieri in ventriculo, ac proinde vasa sanguifera, dum transeunt in tertiam texturam, abire in vasa lymphatica, ita quidem coacta, ut non sanguinem, sed humorem lymphatico-serosum in se recipiant. Sanguis inde per venas sanguiferas e secunda in primam redit texturam, atque ex illa in venas capaces, ac tum demum cum reliquo sanguinis volumine in hepate, & quidem per venam portae, commiscetur. Lympha igitur circuire solet in vasis tertiae texturae & quartae, seu interioris tunicae villosae, & quum nullum sit dubium, quin canales minimi, qui in superficie interiori tunicae villosae patent, ortum trahant a modo dictis vasis lymphaticis texturae inferioris; ita inde consequitur, partem tenuiorem serosam huius lymphae, in his canalibus secretam, per eosdem instar va-

poris

poris in ventriculi cavitatem transfundando peruenire. Hoc autem qualem in finem in statu naturali fiat, intellectu iam est facilissimum, scilicet ut per illum vaporem papillae nerveae seruentur in lubricitate, atque ipsius ventriculi sensus non deficiat, ac proinde is, pro facilitanda ciborum concoctione, quantum sufficit, semper humectetur.

§. X.

Quae cum ita sint, facilissime possumus iam comprehendere, quod eadem ratione, qua in statu praeternaturali & morbo hi canales & ductus excretorii largum praebent serum, sub vomitione ordinaria simul prodicens, pariter quoque contingere possit, ut in sanguinis vomitu simplici, a cauflis mere internis excitato, itidem praeternaturali modo ex iisdem, antea magis dilatatis & distensis, sanguis in ventriculi cavitatem exprimatur & eructet.

§. XI.

Sed iam de *cauffis*, quas sanguinis vomitioni ansam praebere in praxi clinica animaduertimus, tempus est dicendi, & haec duplicitis potissimum sunt generis, *internae* aliae, aliae vero *externae*. Harum vtraeque iterum duplicitis sunt indolis, internae scilicet aut *simplices*, aut *complicatae*; externae aut *moraes*, aut violentae. Ad *cauffas* igitur *internas*, easque *simplices*, quod attinet, & quae in simplici sanguinis vomitu vtramque faciunt paginam, inter has superflui sanguinis copiam, *plethora* ram prificis Medicis dictam, si primas hic tenere dixerim, dixisse ad veritatem omnia, nec nubem pro Iu-

B

none,

none, quod in veteri est prouerbio, arripuisse mihi vi-  
deor. Haec autem pro tali vomitu excitando vario mo-  
do conciliatur, quorsum praecipue *haemorrhoidum* &  
*mensium* pertinet *atuxia*, aut *plenaria suppressio*, vel etiam  
*praematura cessatio*, per quascumque demum caussas  
inducta, itemque *status graviditatis*, atque *imminutio-*  
*nun sanguinis artificialium neglegitio* aut *intermissio*, in-  
primis autem *venae sectionis*, & qui sunt modi reliqui,  
quos ad vnum omnes hic recensere nec vacat, nec  
ipsa postulat necessitas; hinc paucis eosdem ita possu-  
mus complecti, notando saltem, superfluum esse san-  
guinem, ob varias difficultates per consueta loca in *ab-*  
*domine* impeditius progredientem, qui proinde deorsum  
nec per *vterum*, nec per *loca haemorrhoidalia* remoueri  
potest, nec per artem, naturae aemulam, tempestive tol-  
litur. Et quum pauciores sint homines, quorum na-  
tura sanguinem vere abundantem, in primis spissorem,  
diu tolerare possit, praecipue eiusdem ventilationi ad-  
sueta, quid mirum, si molestus eiusmodi status pletho-  
ricus sanguinis commotionem, &, motu tonico insigniter  
aucto, specialiorem directionem inuitet versus visce-  
ra abdominalia? Quid vero subit caussae, cur in vo-  
mitu cruento proprie circa *vasa ventriculi*, & non ad  
alias regiones congeratur sanguis, singulari quidem &  
evidenti non licet assequi coniectura, generali tamen  
quadam ratione aliquo ad minimum modo, ex stagna-  
tione & difficiliori progressu sanguinis, in *vasis* & *visce-*  
*ribus* vicinis contingente, specialioris huius directio-  
nis causam hariolari licet. Quodsi ergo largior, ad  
plethoram imminuendam, facta fuerit congettio versus  
*vasa ventriculi*, tunc certo mihi persuasum est, prout  
etiam

etiam per anatomiam & experientiam constat, dictos & supra descriptos canales hic in vomitu cruento simplici tantum non semper constituiere talis excretionis fontem, siquidem per eiusmodi grauiorem eo factum impulsum strictorio-spasticum, factamque versus ventriculum congestionem, vasa sanguifera, in primis venosa, cum arteriarum extremitatibus, nimium implentur, expanduntur ac dilatantur praeter naturam, inde fieri aliter non potest, quin vasa lymphatica, inde orientia, eandem patiantur molestiam & simul ampliora reddantur. Inducta autem horum demum vasorum dilatatione, quid factu porro facilius est, quam ut ipsum dein recipient sanguinem, ac postmodum pars retiformis vasorum, in interiori textura constitutorum, eodem sanguine repleatur. Iam vero, rebus ita comparatis & continuante ap pulsu sanguinisque congettione, imo vero hac magis adaucta, non suspicari solum, sed afferere licebit, quod canales in ventriculum patentes eo usque tandem possint dilatari, ut sanguinem in hoc viscus stillicidio successive transmittant ea in quantitate, qua dein per vomitum rejectus conspicitur. Quo arctius vero simul rami, & liene ad venam portae abeuntes & cum ea conspirantes, stringuntur, eo maior sanguinis moles ex hoc viscere versus ventriculum urgetur & intra eius cavitatem exoneratur.

§. XII.

*De caussis internis complicatis*, vitiis nempe abdominalibus, quae sanguinis vomitus interdum consequi solet, vberiorem hoc loco mentionem facere nihil attinet, propterea, quod de sanguinis vomitu complicato

B 2

in

in præsentiarum simul non agam, & saltem infra, in rei illustrationem & theoriae confirmationem, quaedam adhuc de eo adiecturus sim. Ex eadem ratione necessarium esse haud existimo, ut quaedam afferam de *cänis externis violentis*, quales sunt, *remedia corrosiva, virulenta, draistica, vehementer emetica, ipsaeque hyporemeses* quocumque modo excitatae, *contusiones*, & huius census aliae violentiae. Etenim a talibus causis sanguinis vomitus si excitatur, ratio, qui fieri id possit, est in promtu. Attamen a me non excluduntur in *simpli fangineo vomitu caussae externae morales*, tamquam *occasioneles, animi pathemata, in primis iracunda, & abvius potum spirituorum*: quamvis enim hae minus valeant, quam internae caussae, tamen hunc morbum, si congestorii motus versus ventriculi vasa iam adsunt, facile magis accelerant et grauius etiam exacerbant.

Conf. FORESTVS Lib. XVI. Obs. 24, 25.

### §. XIII.

Ex his modo adductis, & ipsa congestionum indole, nunc quoque signa, sanguinis vomitum antecedentia, plana sunt ac perspicua, ita vt vberiori explanatione non indigeant. Praecedunt enim angustiae & anxieties praecordiorum, cum tensionibus spasticis & gravatis pressionibus, praecipue in abdomen vigentibus, quae per interualla adfigunt, atque etiam interdum cum vertigine, lipothymia & deliriis coniuncta, atque communiter eo vehementiora sunt, quo maior insimul in talibus subiectis praestet sanguinis abundantia. His succedit nausea, quam breui post excipit conatus vomendi, isque plerumque maior, quam qui ordinarium.

rium respicit vomitum, tandemque copiosa sanguinis extravasati & in ventriculo collecti, illumque premando moleste adfientis, sequitur excussio. Alii praeterea coniuncta est adstrictio, insimulque a cibis eo tempore assutis graues in primis pressiones persentiscent aegrotantes, quin etiam vomibunda interdum eorundem reflectio antecedit sanguinis excussionem. Mitigato qualisque tali impetu, saepe denuo sensim in stomachum colligi sanguinem aegroti sentiunt, qui dein novis conatibus foras iterum protruditur, & facile dein statim redit temporibus, indeque *periodicus* tunc salutatur, quemadmodum etiam non raro vicariam constituit haemorrhagiam menstrui & haemorrhoidalis fluxus, si in ordinario suo successu grauius illi turbati, aut plane etiam suppressi fuerint.

§. XIV.

Quum ex supra adductis abunde iam pateat, sub quibus maxime circumstantiis & singularibus corporis dispositionibus facilis euentre soleat vomitus cruentus, hinc, vt de *subiectis* plura iam adferam, necessitas haud postulat. Id tamen adhuc monere licebit, vomitum cruentum esse, prae virili, solemniorum *sexui foemino*, praeципue adultis foeminis plethoricis, quae sunt animi agilis, temperamenti sanguineo-cholerici, atque intra fluxus menstrui periodum adhuc constitutae; in primis quando post praematuram mensum cessationem magnas in abdome turbas patiuntur, & grauiora hysterica pathemata experiuntur; quum e contrario non ita facile accidat illis, in quibus menses iusto tempore cessarunt, nisi speciales quaedam concurrant

B 3

causae

causae, prout passim testantur obseruationes. *Vid.*  
**LENTILIVS** in *Ereodrom. medico-practic.* pag. 434.  
 Iam vero reddenda erit ratio, cur eiusmodi *vomitus cruentus*, e supra descriptis viis prodiens, & a *meritis causis internis*, *plethora maxime*, mediante proprio naturae robore, excitatus, plerumque per se non sit lethalis. Hoc ipsum autem sequentibus potissimum nititur fundamentis:

- 1) Quia non adest *abdominalis visceris cuiusdam laesio*; & si qua etiam adsit in hocce cruento vomitu, a spissiori inprimis sanguine prognata, veluti *opplatio*, *stagnatio*, *leuiorque infarctus*, ea plerumque hoc vomitu facile tollitur; cum e contrario ad veram laesionem curandam, licet saepius institutus, frustra suscipiatur cruentus talis vomitus.
- 2) Quia per illum, si modo incongruis remediis non turbetur, nec inducitur *visceris laesio*, nec *vasis cuiusdam disruptio*.
- 3) Quia *plethora* per illum eodem salutari modo removetur ac imminuitur, sicuti in alia simplici haemorrhagiarum specie fieri consuevit. Hac enim tali ratione imminutâ, affluxus & congestio versus ventriculi vasa, & anxia alia omnia pathemata remittunt ac etanescunt, & sic *vasis lymphaticis iterum occlusis* & *coactis*, prior eorumdem naturalis reddit elasticitas, & omnia bene se habent, adeo ut aegroti post tales sanguinis vomitum vix habeant, de quo conquerantur, sed omnium potius functionum

num legitimo successu fruantur, id quod plerique  
illorum suo comprobant testimonio, qui vna alteraque  
vice eundem non adeo vehementer, nec admòdum  
in signi in copia experti fuerunt. Longe autem se-  
cūs res se habet in vomitu sanguinis complicato,  
vbi variorum abdominis viscerum laesiones, ne-  
que naturae autocratia, nec vlla artis ope sanan-  
dae, simul concurrunt. Hinc igitur patet ratio,  
cur plerumque, vbi post praegressum talem cruen-  
tum vomitum iusto tempore non redeunt consue-  
tae naturales & salitaires haemorrhagiae, aut mo-  
derata corporis exercitatione, aut congrua artifi-  
ciali sanguinis missione, praefertim in iunioribus;  
plethora debite non imminuitur, nouâ iterum colle-  
cta maiori sanguinis copiâ, & deuuo subsecutâ eius-  
dem versus ventriculi vasa congestione, per quam  
facile redire solet, imo non raro euadat periodi-  
cus, in foeminis praecipue male menstruatis, ac vi-  
ris haemorrhoidum inordinato aut suppresso fluxu  
laborantibus. Proinde etiam optime exinde intel-  
ligimus, qui fiat in iisdem, vt, restitutâ haemor-  
rhoidaliam menstrua excretione, non facile revertatur,  
prout hoc iam olim obseruauit & annotauit **HIP-**  
**POCRATES**, *Sect. V. Aphor. 32.* his verbis: *Mu-*  
*lieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus ma-*  
*li fit solutio.* Non minus etiam cognoscere iam  
possimus, quaenam subsit ratio, quod sanguinis  
vomitus quandoque lienis, hepatis & aliorum visce-  
rum obstruktiones non adeo obfirmatas, malum  
hypochondriaco-hystericum, febres quartanas, etc.  
salutariter tollat, prout hoc speciatim testatur **ETT-**  
**MÜL-**

supi MÜLLERVS. Scilicet idem fere est, ac si menses  
vel haemorrhoides rite successerint, dum harum  
haemorrhagiarum vices interdum gerere solet vo-  
mitus cruentus: vasa enim sanguifera abdominalia,  
in primis venosa, ob connexionem cum vena por-  
tae, inter se satis exacte conspirant, hincque con-  
fusio vna, confluxio vna, solutio vna.

### §. XVI.

His igitur ita expositis, sufficienter iam patere  
arbitror, partim ipsas illas vias, per quas sub vomitu  
eruento sanguis in ventriculum defertur, partim et-  
iam minus illud periculum, ab eadem hac haemorrhagia,  
non adeo impetuose succedente, pertimescendum. Inte-  
rim tamen ratione viarum, quas descripsi, in contrari-  
um hic quaedam moueri posse video, ad quae idcirco  
respondendum prius erit, & ipsa dein veritas asserti  
mei ulterius confirmanda, id quod ex observatione ana-  
tomica & clinico-practica, experientiae suffragio ita  
munita, ut in dubium haud vocari possit, optime pre-  
stari posse confido. Constat nempe satis abunde, ple-  
rosque tam antiquiorum, quam recentiorum Medicorum  
& Anatomicorum, in ea communiter fuisse senten-  
tia, sanguinem sub vomitu cruento exturbatum non  
nisi *e liene*, & quidem speciatim *per vasa brevia*, quae  
ex eodem hoc viscere ad ventriculum progrediuntur &  
per eius membranas distribuuntur, in illum deferri &  
effundi. Licet autem ultimum hoc ex anatomia cui-  
libet sufficienter constet, nec vlo modo in dubium fit  
vocandum, neminem tamen etiam pariter fugit, quod  
*vasa arteriosa* constituant texturam retiformem, intra-  
tuni-

tunicas tantum ventriculi, non vero in cavitatem eiusdem se se diffundentem, ac dein in venas iterum abeuntēm. Inde ergo merito consequitur, iuxta naturalem ordinem e vasis breuibus nihil sanguinis intra ventriculum posse deferri. Quodsi tamen acciderit, (id quod prorsus & in totum negare haud possum,) ut per vasa brevia e liene sanguis in ventriculum effundatur, alio modo idem hoc fieri omnino nequit, nisi quum interiores ventriculi tunicae fuerint erosae, vtpote quae ordinarie his vasis non perforantur, aut etiam, si aliquod horum vasorum fuerit perruptum. Et hoc modo facile intelligitur, qui oriatur eiusmodi vomitus cruentus. *Vid.*

*Thom. BARTHOLINVS Centur. III. Histor. 36. RIOLANVS Anthropol. Lib. II. Cap. 17. BONETVS de Medic. Septentr. Lib. III. Sect. V. Cap. 4. G. Wolfgang. WEDELIVS in Physiologia reformatā, & alii plures.* Semper autem, vel saltem plerumque, illum ita euenire, communis eorumdem sententia, quam fouebant, plane non probat: nec phaenomena, quae in cadaveribus subjectorum vomitu cruento demortuorum interdum subsectione anatomica adparuerunt, plenam huic rei faciunt fidem, lien scilicet post mortem multo sanguine mirum in modum refertus ac turgidus, & vasa brevia simul admodum dilatata & infarcta; etenim ex ipsa congestiōnum indole, & ob ramificationum vasorum venae portae consensum ac conspirationem, id omnino accidere potest, adeoque tunc in primis vix vñquam adseuerare licet, quod sanguis per vasa brevia in vomitu cruento prodierit, si nulla rami cuiusdam horum vasorum facta fuerit disruptio. Hoc enim si esset, ea non subsequi posset euphoria, quam quidem in aliis, post praegressum vomitum

mitum cruentum, saepius conspicimus, dum rupturae vasorum, modo saepius recurrentes & nimium excedentes haemorrhagias, modo alia grauia & periculosa ordinarie inferre solent symptomata.

## §. XVII.

Talis indolis maxime est illa vomitus cruentus species, rarer priori, imo rarissima, vbi sanguis instar roba sambuci non per superiora solum, e ventriculo, per viam plane praeter naturalem, sed etiam per inferiora reicitur, quae idcirco communiter *morbis niger Hippocratis* appellatur, & tantum non semper euenterum nanciscitur lethalem, praesertim si laesiones viscerum, lienis nempe, hepatis, mesenterii, pancreatis, (ut pote quae hic plerumque in causa sunt,) ita sunt comparsatae, ut nec vi naturae vitali, nec arte medica sanari possint. Qua ratione autem hic vomitus contingat, ut fuisse iam exponam, instituti ratio haud permittit, sed paucis saltem allegasse sufficiet, quod in hac grauissima huius haemorrhagiae specie, ob praegressum maiorem complurium abdominis viscerum infarctum, & hinc maxime turbatum & retardatum sanguinis circulum, ob stagnationes varias hinc inde contingentes, ob spasmos concurrentes, & sanguinem speciatim versus lienem & inde prodeuntia vasa brevia urgentes, ob insequentem demum maiorem illorum distensionem, in extraordinario hoc statu tandem ruptura quadam majoris forsitan ramuli contingere, sanguis notabiliori in copia intra ventriculum effundi, & hac ratione ex parte etiam ad inferiora, seu ipsa connexa intestina, descendere queat, unde dein per utramque illam viam necessario eliminari debet.

## §. XVIII.

§. XVIII.

His ergo ita consideratis equidem censeo, firmo adhuc niti talo hanc ipsam, quam defendi; sententiam, plerorumque nempe subiectorum vomitum cruentum, per se felici euentu sublatum, esse illum, quem supra descripsi, nisi quidem incongrua ac peruersa curatione aut in morbum peiores conviertatur, aut plane funestum euentum fortioriatur. Constat enim per experientiam, quod maxime cauendum sit, ne in reuocandis mensibus ac haemorrhoidibus fortiora adhibeantur remedia, *pellentia* nempe *sanguinemque commouentia*, quia, ob plenioram grauius ita exagitata, facile nouo vomitus cruenti insultui ansa praebetur. Neque etiam rite medemur huic morbo *positiue adstringentibus*, (in primis si impetuosior fuerit vomitus,) *refrigerantibus*, *craffis obuiscantibus*, *sopientibus* & *narcoticis*, praecipue quando frusta sanguinis coagulata subinde adhuc reiiciuntur. Quodsi enim adeo vi naturae salutari & vitae repugnatur, & quidem sine vlla vrgente necessitate, tunc sanguis in ventriculum delatus facile in *putrefactionem* abit, reliquus autem, in adfluxu adhuc constitutus & circa viscera abdominalia collectus, stagnat & subsistit, imo non raro in stases inflammatorias, ac tandem in putridam corruptionem transit, vnde demum praeditus ille morbus *niger HIPPOCRATIS* emergit, cum plerumque subsequente euentu funesto, aut transitu in alia peiora & priori morbo graviora mala. Et licet quoque largiendum sit, quod aliquando robustiores quidam e periculis, ex abusu talium medicamentorum inductis & concitatis, postliminio tandem fuerint eluctati, tamen in *sensibilioribus* fere omnibus, si spongiosi fuerint

habitus, cachexia, oedemata & hydrops ; si vero magis macilenti, hec<sup>t</sup>icae febres ita acceleratae fuerunt, & quidem tanto citius & certius, si post ita cohibitum vomitum cruentum nec menstruus, nec haemorrhoidalis fluxus debite restitui poterit. Summa etiam cautione opus est circa *topicorum sifentium* applicationem ; grumorum enim remotione tempestiu*m* tali modo impedita, sanguis pariter abit in putredinem, indeque dein vehementes cardialgiae aliaque pathemata hypochondriaco-hysterica, maxime vero spastico-conuulsua, excitantur, quae saepissime eo vsque increbescunt, ut etiam truculentissimis symptomatibus, a venenis excitatis, simillima euadant.

### §. XIX.

His ergo ita ponderatis & explanatis, nobis nunc est dispiciendum, qua tandem secura & huic morbo conueniente ratione, in salutem oeconomiae vitalis, ipsis tandem afflitis prudenter sit succurrendum, insimulque etiam praecauendum, ne in grauiora, alias facile subsequentia mala, temporis successu forsitan precipitentur.

### §. XX.

Quodsi igitur in aegrotorum salutem hic mederi cupimus, tunc & *paroxysmorum*, & temporis extra eosdem, exacta in primis habenda erit ratio, vt cuilibet statui conuenientem feligamus & adhibeamus methodum.

- 1) *In paroxysmo* praecipue eo erit respiciendum, vt *Janguinis orgasmus* *tempestive* *contemperetur*, & *congestiones* eiusdem ac *stagnationes* circa viscera ab domi-

dominis discutiantur & resoluantur. Optime con-  
ducunt hunc in finem *pulveres nitroso - absorbentes*  
& *cinnabarini*, ex nitro nempe depur. conchis, ma-  
tre perlar. & lapid. cancror. debite praeparatis,  
cum cinnab. antimon. nativa, aut etiam factitia, pa-  
randi, quibus iusta proportione commixtis, ad  
sanguinis spissioris fluxilitatem promouendam, &  
muci tenacioris abstersionem eo melius adiuuan-  
dam, *sal quoddam medium digestinum*, vt tartarus vi-  
triolatus, nitrum antimoniatum, arcanum dupli-  
catum, etc. addi potest. Quo crebrius ergo eiusmodi  
pulueres temperantes exhibentur, etiamsi vel sin-  
gulis id fieret horis, (si circumstantiae id postula-  
uerint,) eo certiore ac meliorem inde expectare  
licet effectum.

Sin autem in magis excedente & pertinaciori  
cruento vomitu tales pulueres non sufficerent, tunc  
iisdem *mitiora tonica & sistentia*, vel lenissima *ano-*  
*dyna* iungere licet, hocque scopo in primis *cortex*  
*cascarillae*, aut eius *extractum aquosum*, optime  
conuenit, si nempe cuilibet huius modo descripti  
pulueris dosi gr. v. vel vij. puluerisati corticis, aut  
gr. iiij. vel iv. Extracti adduntur, aucta etiam cin-  
nabaris portione; egregiae enim efficaciae est hic  
cortex in omnibus affectibus, vbi motuum tempe-  
ratio & stagnantium humorum discussio indicatur.  
Porro quoque huc faciunt *corallia rubra ppt.* Spe-  
cies de *hyacinbo*, *Massa pil. de cynoglossa*, huiusque  
generis alia, ex quibus pro lubitu concinnari pos-  
funt pulueres *tonico - anodyn*i, qui cum praedictis

temperantibus alternatiue exhibendi sunt, quod tam  
enim prius fieri haud debet, quam ubi iam ad excessum  
qualemcumque evidentius inclinare videtur talis  
vomitus. Quae enim materiarum correctioni de-  
stinata sunt remedia, semper praemitti debent iis,  
quibus motus corriguntur, haecque tunc demum  
optime prioribus vel coniunguntur, vel interpo-  
nuntur, quando desideratus iisdem non potest ob-  
tineri effectus.

Praeter hos pulueres in usum quoque vocari  
potest decoctum millefolii aquosum, cum adiantho  
albo & rad. pimpinellae albae paratum, praesertim  
quando vomitus talis cruentus haemorrhoidum ac  
mensium vicariam constituit haemorrhagiam; mil-  
lefolium enim sicuti in aliis affectibus, ex turbato  
sanguinis per venam portae progressu originem du-  
centibus, eximiae est efficacie, ita & in sanguinis  
vomitu peculiarem plane exerit virtutem. Potest  
autem decoctum illud bis de die, mane scilicet &  
post meridiem, exhiberi, & tamdiu continuari, do-  
nec impetus excretionis quadantenus mitigatus fue-  
rit, & spasmi qualitercumque remiserint, quo fa-  
cto ab eius usu iterum defistendum, vel parcitus fal-  
tem cum eodem, usque ad plenariam mitigationem,  
continuandum est.

Ad fortiora adstringentia non facile hic deue-  
niendum est, nisi interdum in vomitu cruento  
complicato necessitas id exigit. Etenim talis haem-  
orrhagica excretio si a viscerum abdominalium  
laefio-

Iaesionibus, exempli gratia a scirrho glandularum  
obniventriculi, aut obstruktione hepatis vel lienis, pro-  
ducent uenit, tunc sanguinis, copiosius antea circa haec vi-  
scera restagnantis, moderata eruptio abstersionem  
quamcunque promouet; hinc si nimium excedit  
vomitus, mitigandus omnino est ac sistendus,  
quoniam ab vna parte obstruktionem fam simili-  
cem, quam scirrhosam, minime tollit, ab altera au-  
tem parte, vires nimium infringendo, magis nocet.  
Sed de hac vomitus cruenti specie, quia ab institu-  
ti ratione aliena est, plura non addo, praeter nota-  
bilem illum casum, quem RIVERIVS Centur. IV.  
*Observ.* 26. adducit de rustico, qui per complures  
dies laborauit vomitu cruento, quumque Medi-  
cus, ad vomendi continuos ac difficillimos conatus  
iuuandos, olei amygdalarum dulcium vncias duas  
ipsi praeberet, vna cum sanguine viuam hirudinem  
eiecit, sicque a morbo liberatus fuit, manifesto do-  
cumento, quod, pro causarum diuersitate, etiam si-  
ne adstringentibus curari possit vomitus cruentus.

*Reuellentia externa* in usum quidem vocari pos-  
funt, minoris tamen hic deprehenduntur efficaciae.  
Talia sunt, ligature, frictiones, sinapisi extre-  
morum, cucurbitularum applicationes cum multa  
flamma ad suras, fatus calidi, plantis pedum & ma-  
nibus applicandi, itemque pediluvia.

*Alii adstrictio* si concurrit, tunc *enemata leni-*  
*entia & emollientia*, aut alia mitiora laxantia, v. g.  
rhabarbarina, vel pilulae balsamicæ Becherianæ,  
Strob.

*Stahlianae*, aut *Hoffmanniana*, conducunt. Praestat tamen in initio huius morbi, in primis quando impetuosiores sunt eius insultus, nec non in subiectis tenerioris & sensibilioris constitutionis, clysteres potius, quam interna laxantia, in usum vocare, quoniam haec, ut ut mitissima, tunc temporis & in talibus subiectis perquam facile nouae irritationi ansam praebent, & durante adhuc nausea simul reuomuntur, id quod e contrario in declinatione huius vomitus minus ab iisdem est pertimescendum, vtpote quo tempore tanto meliorem simul exserunt effectum, dum ventriculum, vel ipsum etiam duodenum, a reliquiis sanguinis, frustulisque forsitan ibidem adhuc obhaerescientibus, liberant, eoque ipso grauiora alia, inde demum euentura, praeoccupant mala.

Tandem etiam *tonus ventriculi est roborandus*, quod commodissime impetrari potest per *Tinctur. vitrioli martis aperitiv.* L V D O V I C I , *Tinctur. martis cydoniat.* *tinctur. tonico-neruinam STAH-LII*, quae ultima vel per se, vel in potiuncula, cum aquis diapnoicis parata, sumenda est; *conf. Acta physico-medic. N. C. Vol. I. pag. 549.* Possunt etiam essentiae millefolii & cascarillae cum hac tinctura tonica remisceri, hunc circiter in modum: *Rec. Spirit. C. C. rectific. Tinctur. tartari ana drachm. II. essent. millefol. cort. cascarill. ana drachm. I. & dimid. M. & bis vel ter de die gutt. XXX - XL. exhibeantur.* Non minus quoque conueniunt pro hoc scopo species *PARACELSI* correctae, in decocto

cocto aut infuso theiformi exhibenda, si in primis praeseruatore, tam in simplici, quam complicato cruento vomitu, interdum in usum vocantur. Ceterum sub paroxysmo etiam tranquilla continentia, tam ratione animi, quam ipsius etiam corporis, multum simul ad faciliorem curationem confert.

§. XXI.

*Extra paroxysmum* dein ante omnia curandum est, ut restitantes forte in ventriculo portiones sanguinis coagulati tempestue remoueantur, quem in finem antea commendata mitiora laxantia (§. XX.), itemque in debilioribus potiunculae mannatae, vel passulæ rhabarbarinae, paucis interiectis diebus iterum repetendae, apprime conuenient. His praemissis, tentare etiam licet, quid sub prouido vsu effecturum sit *infusum herbae arnicæ cum floribus*, quum aliunde etiam eidem, ad perfectam anacatharsin in haemoptysi declinante obtinendam, multum tribuatur. *Conf. Acta Medicor. Berolin. Volum. I. & II. pag. 44. & 69.* Si ingens sanguinis quantitas reuera excreta & reiecta fuerit, maiorque hinc viarium superfis imbecillitas, tunc *temperatis* analepticis, emulsiuis, gelatinosis, decoctis auenaceis, hordeaceis, iusculis carnium consummatis, non autem spirituosis & aromaticis, aeger reficiatur.

§. XXII.

Ad recursum nouum auertendum opus est in primis conuentiente immunitio superfluae quantitatis sanguinis, iusto simul tempore instituenda, & quidem vel per haemorrhiarum naturam, mensum nempe aut *haemorrhoidum*, restitutionem, si eadem ataxia in caufa fuerit; vel per ventilationes artificiales, nimurum venae sectiones, scarifications hirudinumque applicaciones, pro subiectorum & reliquarum circumstantiarum conditione

D.

oppor-

opportune feligendas & commendandas. Non solum autem circa quantitatis imminutionem subsistendum est, sed etiam qualitatis correctio simul est respicienda. Ad crasim ergo sanguinis & lymphae spissiorem emendandam egregie conducunt tincturae refoluentes alcalinae & salia media digestiva, subiunctis diluentibus & congruis laxantibus. In vomitu autem cruento complicato simul viscerum laesorum restauratio, quantum quidem fieri potest, insimul tentanda erit, coniungendo insuper in utroque statu motum corporis moderatum & sufficientem, utpote qui in praecaudidis quarumlibet haemorrhagiarum recursibus plus saepius praefstat, quam ingens medicamentorum farrago sine illo adhibita.

§. XXIII.

Qui cruento vomitu semel laborarunt, iis vomitoria & purgantia draistica quam maxime sunt inimica; hinc sedulo postmodum ab iisdem sibi caueant, ne sanguinis eruptionem denuo ac temere prouocent, in primis si insimul pathematibus hypochondriacis aut hysterics, vel cardialgicis & aliis spasticis circa ventriculum incommodis, frequentius fuerint obnoxii. Ceterum ratione diaetae, vt paucis me expediam, quilibet facile perspiciet, diligentissime vitanda esse omnia, quae sanguinem copiosorem ingenerare, vel massam eius nimium commouere valent, maxime autem pathemata animi iracunda, utpote quea prae omnibus aliis caussis plurimum ad reuocandum tales cruentum vomitum conferre valent.

§. XXIV.

Haec igitur nunc mihi, de Vomitu cruento plerumque per se non lethali, dixisse sufficiant pro ea copia temporis, quae suppetit, & pro Dissertationis academicae modulo. Plura equidem, fateor, adiici potuissent; sed veniam impetraturum me spero ab aequis arbitris, qui non requirunt a primo specimine perfectionem eam, quae anni & usus suppeditant. Deo interim T. O. M. pro benignissime concessis viribus ad huncce laborem perficiendum, sit laus, honor & gloria!

T A N T V M .

AESTVMATISSIMO DOMINO COGNATO  
JO. HENRICO LICHTENBERG  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES CAPESENTI  
S. P. D.  
IO. IVNCKER.

Per cognationis quidem rationem, qua TIBI, Dilectissime, ad-  
nexus sum, iure merito cathedram Tecum ascendere lau-  
reamque capiti TWO imponere debuissim: quum vero, quid  
impedimenti obueretur, satis perspectum habeas, meum in hac re  
defectum benigne excusabis. Interim non possum, quin velim ex-  
stare amoris & gratulationis testimonium. Gaudeo reuera, quod  
a chronico eoque pertinaci morbo nuper liberatus sis & nunc cur-  
sum Tuum academicum feliciter absoluas. Dissertationis TVAE ar-  
gumentum omnino fructuosum arbitror: quamvis enim non defint,  
qui de eo passim scripserunt; nonnulla tamen, quae ad accura-  
tiorem prognosin spectant, etiamnam desiderantur. Quid vero  
causae sit specialioris, quod mitiorem in vomitu cruento senten-  
tiam, quam quidem in reliquis haemorrhagiarum periculosorum  
speciebus, haemoptysi nempe & mielu cruento, ferre possumus: ex  
ipsius ventriculi & intestinorum ampliore cavitate & faciliore re-  
mediorum accessione, nulla difficultate pernindere licet. Sicut enim  
sanguis extra vas a constitutus, quando in corruptionem abit, vbi-  
que periculi auctor exsistit: ita ab illo corruptionis actu, post vo-  
mitum cruentum, eo facilius per congrua remedia prohibetur, quo  
notius est, quod immediato contactu efficaciam suam in partibus ipsis  
amplioribus exercere possint. Caeterum sincere opto, ut & in his,  
& in aliis morbis ad vota curandis ubique feliciter agas. Vale.

d. d. XXV. Febr. MDCCXLII.

Daf



**S**ag ich, geliebter Freund, von Deinem Ehren-Tage,  
Der Deinen Fleiß belohnt, mit sicherer Freude sage:  
**G** daß er von großem Glück ein kleines Zeichen sey,  
Ist keine taube Frucht kraftloser Schmeicheley.  
Denn wo die Musen selbst der Weisheit seltn̄ Gaben  
So fruchtbar, als bey dir, so fest vereinigt haben:  
Sind Wissenschaft, Verdienst, erlangte Fertigkeit,  
Die Bürzen deines Glücks von fester Sicherheit.

## Christian Friederich Lichtenberg,

aus Darmstadt,  
derer Rechte Beschlüssener.



qpc





01 A 6576


ULB Halle  
002 931 664

3



TA 06

56,



# Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									

B.I.G.

46

IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
VCRVENTO  
VE PER SE NON  
THALI

QVAM  
MINIS AVSPICIIS  
DEMIA FRIDERICIANA  
INIS MEDICI CONSENSV  
DERATORE  
I ET EXCELLENTISSIMO  
ELIA BVCHNERO

ANI IMPERII NOBILI,  
AE REGI A CONSILIIHS INTIMIS,  
NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.  
PHILOSOPH. H. T. DECANO,  
AE NATVRAE CVRIOS. PRAESIDE,  
PALATINO CAESAREO,

DV DOCTORIS

INA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS,  
FEBR. MD CCLII.

ORVM EXAMINI SVBMITTIT  
OR DEFENSVRVS

JERICVS LICHTENBERG  
VRGO - DARMSTADINVS.

E MAGDEBURGICAE,  
STIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.